

Quemadmodum etiam Nobiles personas, conductitios stipendiarios, Regni Vaivodas, sine praescitu eiusdem Regni, sub friuolo quodam praetextu, neque citatos, neque Juris Ordine convictos captiuari, et non secundum Jura ac consuetudinem Patriae, sed medio Sultecij Carolstadiensis, pro libitu suo, contra eosdem Jus sibi de facto pronunciari fecisset; qui tamen etiam in ipso qualicumque Jure tanquam insontes eliberati essent.

Verum certa stipendia non solum eorundem Vaiuodarum, sed et aliorum gregariorum peditum, quos Status ac Ordines Regni propria pecunia ad defensionem Patriae intertenerent, partim idem dominus Banus, partim uero certi Capitanei sui, pro se ipsis leuassent: iidem uero pedites pannosi et fame enecti, ob subtracta ipsis stipendia in defensione Confiniorum officijs ipsorum satisfacere minus possent. Quibus ut ademptum stipendium ex rebus mobilibus uel iuribus possessionariis ipsorum, qui praemissa stipendia pro se ipsis conuertissent, vigore Articuli Regni, per Vice-Comites ut refundantur, Regnicolae dignum esse ducunt et statuerunt; praesertim cum iidem conducticij pedites Regni, tam pro se, quam pro peditibus Banalibus (qui omnino nulli aut pauci sunt), in praemissis Confinijs Banalibus perpetuas excubias agere debeant, et neque praemissus dominus Banus in stipendia ipsorum, alias ex Contributione reliquiarum horum Regnorum illis solvenda, aliquod Jus habuerit.

Ut interim taceantur praetitulata Confinia Banalia, quae tempore aliorum Banorum nostra memoria fuerunt ex fundamento aedificata, adeo esse collapsa, ut vix Miles in eisdem stationem suam habere, nedum hosti ingruenti resistere possit.

Accedit pulueris Tormentarij et aliarum munitionum extremus defectus; quam quidem munitionem, cum sufficienti pulvere tormentario, ad instantiam fidelium Statuum ac Ordinum, licet Sacratissima Maiestas Sua non ita pridem ad eadem Confinia Banalia, una cum haud contemnenda Summa pecuniae ad aedificationem Praesidiorum Berkusevina et Littauanich, clementer administrari fecerit; sed quoniam haec omnia idem dominus Banus, extra destinatos per Maiestatem Suam vsus, converterit, nescitur.

Quae licet omnia cum prioribus querelis et grauaminibus Statuum et Ordinum horum Regnorum, Sacratissimae Maiestati Suae iam humillime praesentatis, per eundem dominum Banum, contra manifestissima Jura, privilegia ac libertates horum Regnorum, quae ille observare strictissimo Juramento astrictus fuisset, perpetrata sint: hoc ipsum tamen certe grauissimum et intolerabile, ubi videlicet idem dominus Banus, non solum primarias familias huiusce Patriae, verum etiam totum Comitatum Varasdiensem, qui praecipuus est horum Regnorum, manifestissimae perduellionis insimulasset et accusasset. Super qua quidem sinistra et minus vera dilatione sua Vniuersitas eiusdem Comitatus Varasdiensis, cum tota familia Dominorum Comitum Erdeödi, sic etiam dominus Georgius perpetuus Comes a Zrinio, solemniter protestarentur, ut suo tempore causam praemissam contra annotatum dominum Banum cum poena talionis prosequi possint.

Quare cum tam ex praescriptis, quam praecedentibus et alijs etiam infinitis grauaminibus ac rationibus inter Status ac Ordines horum Regnorum et ipsum dominum Banum intestina odia ac dissidia tam alte radices fixerunt, ut nullus sit modus neque ratio amplius cum ipso conueniendi, Sacratissimae Maiestati Suae, tanquam Domino et Regi ipsorum clementissimo, iidem Fideles Sta-